

Urbis
tyrona

Et Isidorus, lib. LXXV, cap. 1: « Urbis, ait, aratro conditur, aratro veritur. » Hinc urbs dicta est ab urbo, id est ab aratri curvatura, quam urbi circumdecebat: unde urvare vel urbare, idem erat quod aratro definire, ait Pomponius iureconsultus. Primitus enim locis editis fossam ducere, et vallo circumdare ad sui tutelam ceperunt, et sic urbes oppidaque inchoarunt. Hinc Varro ait urbem dici, quod aratro sit præfinita; et moenia quasi munia, et murum a munitione; et oppidum, quod muniatur opis causa. Antiqui enim iunctis bobus, tauro et vacca Hetrusco ritu, in condendis urbibus interiore aratro circumagebant sulcum, intra quem urbem edificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspicio, ut urbs fossa muroque munita felix esset. Hinc Poeta:

Apia dies legitur qua moenia signet aratro.

ET MONS TEMPLI IN EXCELSA SYLVARUM, — q. d. Mons Sion, in quo edificatum est templum, eo cæterisque ædibus incensis ita desolabitur, ut videatur esse quasi rupes ruderum; sicut in sylvis montium in vertice eminent iuga et rupes, quasi excelsa et culmen sylvæ. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Remigius et Arias. *Secundo, q. d.* In monte Sion, everso templo, succrescent arbores, ut mons sylvescat, fiatque sylvæ. Ita Theodoretus, Lyranus et Vatablus.

Nota: Hæc Michææ prophetia a senibus Israel citatur Jerem. xxvi, 18, ut ea defendant Jeremiam similia prophetantem, eumque a morte liberent. Ibidem illa dicitur edita sub Ezechia rege, scilicet postquam decem tribus anno sexto ejusdem abductæ sunt in Assyriam. Unde omnia Samaria, utpote jam eversa, solam Jerusalem hic et deinceps usque ad finem prophetiæ compellat et alloquitur Michæas. Porro ibidem fidem senes dicunt hanc Michææ prophetiam non esse adimpletam, eo quod populus ea percussus poenitentiam egerit, atque impetravit a Deo veniam, et sententiæ de excidenda urbe abolitionem. Ita putabant ipsi, sed falso. Nam sententiæ hæc Dei non fuit abolita, sed suspensa duntaxat, et dilata usque ad tempora Jeremiæ, qui rursus eandem revocavit et renovavit cap. xvi, 14, dicens: « Erit universa terra hæc in solitudinem et in stuporem: et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. » Et cap. xvi, 9: « Sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. » Haque factum est anno 11

Seculæ, quo Nabuchodonosor regnum Juda cum urbe et templo evertit. Michæam enim minari ad litteram excidium Chaldaeorum, non Romanorum (uti censuit Eusebius lib. VIII *Demonstr.* cap. viii, motus ea ratione, quod tunc tantum eversa sit Jerusalem, eo quod edificata sit in sanguinibus, uti ait hic Michæas vers. 10, puta in sanguine et nece Christi, sed perperam; nam ob sanguinem Christi non edificata, sed destructa est Jerusalem a Tito), patet tum ex Jeremia locis jam citatis, tum ex eo quod Michææ tempore instabat Judæis clades per Chaldaeos, non per Romanos. Typice tamen et allegorice hæc spectant ad eorum excidium per Titum et Romanos; horum enim prodromi et quasi antitypi fuerunt Chaldaei: Romani enim perfecerunt id quod inchoarunt Chaldaei, dum plenum et extremum exitum Hierosolymæ et reipublice Judæorum intulerunt.

Tropologie, Jerusalem est anima sancta, et Deo per gratiam dicata et consecrata: hæc evertitur per peccatum mortale, fitque acervus lapidum et ruderum, id est passionum et vitiorum omnium indigesta congeries, quæ antea fuerat constructa ex gemmis, iisque circumdata et quasi coronata, de quibus Apoc. xxi, 9. Gemmæ sunt dotes et virtutes, Sion est mens et ratio (quæ in homine est id quod in urbe est arx, quodque in Jerusalem erat Sion, id est specula) quæ antea providebat et disponebat opera virtutum, jam post peccatum quasi ager aratur a diabolo, ut ferat zizania, vepres, aconita et venena peccatorum et scandalorum; templum est spiritus, qui antea Deo adherens iuges ipsi orationis, meditationis et laudis offerebat hostias, jam post peccatum fit sylvæ densa inutilibus et noxiis arboribus, id est cogitationibus et curis in qua versantur fere, id est demones, qui ibidem bestiales et ferinos suos mores introducunt, imo ex homine bestiam, ex templo idolum, ex angelo demonem efficiunt. Hanc animæ tristem commutationem et cladem totis Threnis describit et plangit Jeremias, ubi inter cætera ait, cap. ii, 5 et 6: « Præcipitavit Israel, præcipitavit omnia moenia ejus: dissipavit munitiones ejus. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, » etc. Et Psaltes, *Psalm. lxxviii, 1*: « Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. » Similia habet Isaias cap. 1, 7 et sequent.

Tropologie, urbs eversa est anima peccatrix.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Predixit Michæas cap. præcedenti, vers. ultimo, montem Sion et templum vastandum a Chaldaeis; nunc ut de more tristidus læta subjungat, ut suos consoletur, docet eundem restituendum, imo super omnes montes erigendum per Christum, quia scilicet in Sion Christus inchoavit Ecclesiam suam divinam et cælestem, ad quam velut arcem et speculam excelsam ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes, quia de Sion exiit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Porro in Ecclesia non fore bellum, sed summam pacem prænantiat. Et regnabit, inquit, Dominus in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum: Et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Hinc secundo, vers. 10, consolatur Judæos, qui captivi ituri erant in Babylonem, quod brevi inde sint liberandi a Deo, qui hostes eorum Chaldaeos conteret, et Sioni robur pristinum restituet.

Michæas
læta as-
secta.

Nota: Priorem et majorem hujus capituli partem mutuatus videtur Michæas ex Isaiæ cap. ii, ubi eadem pene ad verbum habentur. Nam Isaias facile quadraginta annis ante Michæam idipsum prædixisse videtur. Id colligimus ex eo quod priora quinque capita Isaias dictasse videtur sub Ozia rege. Nam cap. vi sic incipit: In anno quo mortuus est Ozias. Cum ergo visionem sexti capituli habuerit anno ultimo Ozias, videtur visiones præcedentium capitulum quinque sub prioribus ejusdem regis annis a Deo accepisse; Michæas autem hæc prophetavit sub Ezechia, qui fuit pronepos Ozia, uti dixi cap. præced. vers. ultimo. Nam inter Oziam et Ezechiam intercesserunt Joathan, qui sexdecim annis, et Achaz, qui totidem regnavit. Adde aliquot annos Ozia et Ezechia (Michæas enim post excidium Samariæ, quod anno 6 Ezechia contigit, hæc vaticinatus est), habebis annos 40 et amplius, quibus Isaias hoc suum, cap. ii, oraculum ante hocce Michæas accepit et edidit. Quia ergo hæc expliciti Isaiæ cap. ii, ea hic non repetam, sed breviter caput hoc percurram, Lector consulat ea quæ notavi in Isaiæ (1).

1. Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi. 2. Et propebunt gentes multe, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. 3. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum: et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gentes adversus gentem gladium: et non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. 5. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. 6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram, colligam, et quam afflixeram: 7. et ponam claudicantem in reliquias: et eam, quæ laboraverat, in gentem robustam: et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. 8. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. 9. Nunc quare more rore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole, et satage, filia Sion, quasi parturiens: quia nunc

(1) Hic incipit pars secunda prophetiæ Michææ, sive prophetiæ evangelicæ, exhibens Ecclesiæ christiæ promissionem.

PRIMO, describitur futura hujus Ecclesiæ amplitudo et gloria, primo, ex summa ejus exaltatione et sublimitate, vers. 1; secundo, ex affluxu omnium populorum; 2; tertio, ex adversantium refractione, credentium autem pace et concordia; 8; quarto, ex securitate et libertate profuturi Evangelium, 4, 6; quinto, ex perpetuitate regni

Christi, ejusque intra Hierosolymam constitutione, vers. 7, 8.

SECUNDO, enumerantur adjuncta præcedenti quæ evenient antequam adimpleatur quod vers. 8 prædicitur, scilicet, primo, Judæorum angustia prius et captivitas Babylonica, sed subsequens postmodum liberatio, 9, 10; secundo, hostium adversa primum molitio, sed reddita per vires postmodum clades, 11-13; tertio, obsessio Hierosolymæ ultima et eversio, cap. v, 1.

egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. 11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur ; et aspiciat in Sion oculus noster. 12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus : quia congregavit eos quasi fenem areæ. 13. Surge, et tritura, filia Sion : quia cornu tuum ponam ferream, et ungulas tuas ponam æreas : et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universa terræ.

VERS. 1. 1. ET ERIT : IN NOVISSIMO DIERUM. — Dixi *Isaia* II, ex communi Patrum sententia, tempus Messie vocari *novissimum*, hebraice אחרית *acharit*, id est sequens, posterum, consequens, succedens : quia illi nulla alia lex, nulla alia Ecclesia, nulla alia religio, sacrificia et sacramenta succedent, sicut illud succedit veteri legi et Synagoga ; sacramentis et sacrificiis Mosaicis ; hæc successerunt legi et statui naturæ. Rursum idem Messias tempus Sion et Judæis est novissimum, quia cepit in eorum exilio, cum ipsi a Tito et Romanis plane excisi et eversi sunt : quod exidit durabit usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel cap. IX, vers. ultim. Perperam ergo Judæi ex hoc loco expectant suum Messiam, qui in fine mundi, quasi alter Salomon, ipsis Jerusalem, templum et regnum pristinum restitutus sit.

Perperam quoque nonnulli catholici apud Theodoretum, hæc adimpleta censent in reditu Judæorum et Babylone. Alii sub Ezechia rege pio, qui restituit et auxit cultum Dei in Sion, mittens legatos per totam Judæam, qui dicerent : « Venite ad sanctuarium Domini, quod preparavit in æternum, » II *Paraltip.* cap. XXX, 8. Nam quæ hic dicuntur longe augustiora sunt, quam ut conveniant Ezechie, Cyro, Esdræ, etc. Adde : Ezechias legatos istos misit anno primo regni sui, ut patet II *Paraltip.* cap. XXX, et ex Josepho, lib. IX *Antiq.* cap. III. Micheas autem hæc prædixit post annum sextum Ezechie, uti dixi cap. præced. vers. ult. ; non prædicit autem id quod jam factum, sed quod adhuc futurum erat. De fide ergo est hunc locum ad litteram intelligendum esse de tempore Christi, et Ecclesie ac legis Evangelicæ. Ita enim interpretantur omnes Patres, quos citavi *Isaia* II, et fuse citat hic Christophorus a Castro.

ERIT MONS DOMUS DOMINI, — id est domus Domini in monte edificata, quæ non est alia quam Ecclesia Christi, inchoata et fundata in monte Sion. Est hypallage ; sic enim mons templi vocatur tempus montis Sion, *Isaia* cap. XXX, 29 : « Qui pergit, inquit, cum tibia, ut intret in montem, » id est, in templum, « Domini ad fortem Israel. » Similia sunt *Psalms*. XLVII, 2 ; *Psalms*. LXXIII, 2, et alibi. *Secundo*, proprie, « mons domus Domini » est ipse mons Sion, in quo uti olim Salomon corporale templum, ita Christus sum spirituale et antitypum, puta Ecclesiam, inchoavit et edificavit. Promittit enim Propheta montis et templi per Chaldaeos eversi, restitutionem et

restorationem per Christum. Hic sensus cum priore occurrit, et eodem redit(1).

PREPARATUS. — Hebraice נכון *nachon*, id est, primo, fundatus, firmatus, solidatus, ut nullus vires, imo nec inferorum porte cum evertere possint ; *secundo*, *nachon*, id est verus et certus ; quia Ecclesia nil docet falsum, sed est firmamentum et columna veritatis, I *Timoth.* cap. III, 43 ; *tertio*, *nachon*, id est rectus, erectus, qui nihil habet curvi et torti : Ecclesia enim rectam virtutis et salutis viam docet, mentemque recta in cœlum ad Deum erigit et dirigit ; *quarto*, *nachon*, id est preparatus, dispositus, ordinatus ; quia in Ecclesia omnia sunt rite et decenter ordinata, atque per Ecclesiam militantem fideles preparantur et ordinantur ad triumphantem, puta a gratia ad gloriam, a terra ad cœlum, a merito ad premium. *Denique* *nachon* idem est quod integer, perfectus, directus, ordinatus, ideoque incedens prospere, felix et fortunatus.

IN VERTICE MONTIUM, — *q. d.* Mons hic, puta Ecclesia Christi, transcendet omnes leges, scholas, doctrinas, instructiones, religiones, synagogas Judæorum et philosophorum, quæ inter homines videbantur eminere quasi montes, adeoque quidquid sub sole celsum est et sublime superabit, imo calcabit, et subjiciet sibi. Mons hic notat arduum et cœlestem esse doctrinam et vitam Christi et Ecclesie.

ET FLUENT AD EUM POPULI, — turmatim instar fluvii. Unde Justinus *Contra Tryphon* legit : *Et flumen ponent in eo populi, q. d.* Ad Ecclesiam concurrent omnes gentes, passibus non corporis, sed mentis et spiritus. Miraculum est si aquæ e valle ascendat, et fluant in montem : ita miraculum est, quod gentes terrænæ ascendant in Ecclesiam, cujus doctrina et vita montosa est, ardua et cœlestis ; nimirum id efficit gratia Christi potens et alta, ut pote e celo demissa. Sicut ergo aquæ e fontibus deductæ per canales in vallem, in valle exsiliunt et ascendunt pene ad altitudinem suæ originis ; ita aquæ hæc cœlestis gratie derivatæ in valles, id est in corda hominum, ea secum exsilire faciunt in cœlum, vitamque cœlestem inire et amplecti. Huc spectat illud Euripidis in *Medea* : « Sursum sacrorum fluviorum feruntur fontes. »

(1) Eandem interpretationem de temporibus Messie sequuntur Rosenmüller et alii interpretes rationalistæ ad vers. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7.

VERS. 2. 2. ET DICENT : VENITE, ASCENDAMUS AD MONTEM DOMINI (*q. d.* Gentes, visis et auditis miraculis, innocentia, sanctitate et doctrina cœlesti apostolorum et fidelium, hortabuntur se invicem dicendo : Eia ascendamus ad Ecclesiam, illi ascribamur ; ipsa enim est mons, et Sion templumque Dei, ibi nos) DOCEBIT DE VIIS SUIS (id est vias suas ; est hebraismus), ET IMMUS (id est ambulabimus gressibus mentis, non corporis) IN SEMITIS EIUS, — *q. d.* Deus in Ecclesia docebit nos voluntatem suam, suasque leges ; dabitque gratiam, ut eas voluntate et opere expleamus : hoc enim est ire vel ambulare in viis et semitis Dei. Unde Septuaginta apud S. Hieronymum vertunt : *Ostendet nobis viam suam* ; S. Justinus *Contra Tryphon* : *Illustrabunt nos*, scilicet gentes et populi multi.

QUIA DE SION EGREDIETUR LEX, — puta lex gratiæ et Evangelii Christi : Apostoli enim, recepto Spiritu Sancto in Sion die Pentecostes, inde egressi in varias provincias, legem Christi omnibus gentibus prædicarunt. Hæc verba possunt accipi, vel ut gentium se invicem adhortantium ad Ecclesiam, *q. d.* Ascendamus ad Sion, id est ad Ecclesiam natam in Sion ; quia inde prodit et prodit lex gratiæ et salutis, vel ut propheta Micheas, *q. d.* Ideo fluent omnes gentes ad Sion, quia videbunt non alliam esse legem et fidem veram, quam eam quæ prodit ex Sion, quæ scilicet annuntiat ab Apostolis prodentibus ex Sion, uti ego Micheas prædico et assevero. Ita Lyranus et Arias.

VERS. 3. 3. ET JUDICABIT, — scilicet verbum Domini, vel potius (quod tamen eodem redit) ipse Deus Jacob, de quo vers. 2, per verbum et Evangelium suum, *q. d.* Deus per Evangelium populos inter se antea dissidentes componet, eis jus dicet, lites omnes dirimet, ut positis odiis et dissensionibus, omnes in eadem Ecclesia, communi spiritu fidei et charitatis conspirent, habitent, vivantque concorderit et jucunde quasi fratres. *Secundo*, aliter Vatablus, *q. d.* « Judicabit, » scilicet mons domus Domini, id est Ecclesia, *q. d.* Si quando aliquod dubium in fide, vel difficultas in religione acciderit, Ecclesia ea solvet et componet ; ut pote quæ a Spiritu Sancto recta, falli non potest. *Tertio*, a Castro, *q. d.* « Judicabit, » id est verbum et Evangelium Dei judicium exercebit inter multas opiniones, quas habent omnes populi de vita bene et beate insititenda ; nimirum dammando et reprobando falsas et stultas, quales sunt de sectanda avaritia, gloria, ambitione, ultione sui, deliciis ac pompis hujus vite ; ac veras eruendo, probando, et docendo de modestia, humilitate, concordia, charitate mutua, pace, paupertate et similibus, easque hominum mentibus ingerendo et instillando.

USQUE IN LONGINQUUM, — *q. d.* Judicabit populos longe lateque toto orbe dispersos ; et, ut Tigurina vertit, *procul dissitos* ; aliter Chaldaeus, in *longinorum*, scilicet tempus, puta in perpetuum.

ET CONCIDENT GLADIOS SUOS IN YOMERES, — *q. d.* Deus per Christum et Apostolos judicabit et componet omnes lites, inducetque legem pacis, concordia, amoris ; itaque quantum est ex parte sua, vi gratiæ et Evangelii sui, tollet omnia dissidia et bella, ut gentes arma bellica deponant, imo mutent in instrumenta pacis ; puta in aratra et ligones quibus in pace colitur terra. Atque ut hoc ortu suo portenderet, natus est Christus sub Augusto Cesare, cum, domitis vel occisis tyrannis omnibus, sub eo jam monarcha, Jano classico, mundus plena pace fruereetur. Ita S. Cyrillus, Clarus, Arias et alii. Vide dicta *Isaia*, cap. II, 4 ; et *Joelis*, cap. III, 10.

4. SEDEBIT VIT SUBTUS VITEM SUAM, ET SUBTUS FICUS SUAM. — Est hebraea phrasis, parabolice significans quietissimam securitatem, quam attulit lex Christi, utpote lex charitatis, concordia et pacis ; ita ut secure et jucunde sine hostis metu in suis domibus et prædiis fideles degere, suisque rebus, ficibus et uvivis frui possint ; quasi sedentes sub arbore otiose, ficus et fructus in os cadentes exciperent.

5. QUIA OMNES POPULI AMBULABUNT, UNUSQUISQUE IN NOMINE DEI SUI : NOS AUTEM AMBULABIMUS IN NOMINE DOMINI IN ÆTERNUM ET ULTRA, — *q. d.* Licet ceteri populi infideles colant suos deos, varii vario ; fideles tamen et christiani, qualis sum ego Micheas, meique similes, unanimiter et constanter unum verum Deum ac Dominum colamus ; ipsi soli serviumus toto corde et mente ; ipsi qui solus servare potest confisi, secure vivemus in pace, sine metu hostium etiam, et in æternum, et ultra, id est in omnem omnino æternitatem. Est hyperbole ; æternitas enim quia immensa, superat omnem hominis conceptum, ideo addit *et ultra, q. d.* Durabit hæc pax per omnia sæcula, per omnem æternitatem, quam mente concipere possumus ; et ultra, si quid ultra sit ; sicut revera ultra conceptum nostrum quem formamus de æternitate, supersunt immensa sæcula. Nos enim concipimus æternitatem, quasi millia et miliones annorum plurimos ; ad quos hæc superest æternitas. Nota *et nos* : Micheas enim licet Judæus, et filius veteris Testamenti, tamen prævisione sua, fide, spe, animo et voto jungit se filiis novi Testamenti et christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, ac fide gratiæque Christi genitis ; cum tamen non visus esset Christum et christianos, nec eorum tempore victurus. Sancti enim veteris Testamenti, ob fidem in Christum venturum, pertinerunt ad novum Testamentum ; quia ab eo, puta a Christo, in præsentia et prædestinatione Dei futuro, omnem suam gratiam et justitiam hausierunt, uti docet S. Augustinus lib. III *Contra duas epist. Pelag.* cap. IV : « Hi (christiani servili metu legem servantes), inquit, ad vetus pertinent Testamentum, quod in servitium generat ; quia facit eos carnalis timor et cupiditas servos, non Evan-

gelica fides, spes et caritas liberis; sub gratia vero positi, quos vivificat spiritus, et fide ista faciunt, quae per dilectionem operatur in spe bonorum non temporalium, sed aeternorum, praecipue credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant et spiritum gratiae subministrari, ut bene ista faciant, et ignosci posse cum peccant. Ili pertinent ad Testamentum novum, filii promissionis et regenerati a Deo patre et libera matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, et ipse Moyses Testamenti minister veteris, heres novi; quia ex fide qua nos vivimus, una eademque vixerunt; incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam. »

VERS. 6. 6. IN DIE ILLA, — Messiae, Ecclesiae, Evangelii, gratiae et novi Testamenti. De illa enim egit ab initio capitis lucusque. Ita S. Hieronymus, Haymo, Rupertus, Hugo, Lyranus, Vatablus et alii passim.

CONGREGABO CLAUDICANTES ET IAM, QUAM EJECTAM, COLLIGAM. — Theodoretus per claudicantem et ejectam accipit gentilitatem, q. d. Per Christum colligam populum gentilem, huc usque a Deo neglectum, abjectum, et claudicantem in fide et religione; quia nunc instinctu naturae coluit unum Deum creatorem coeli et terrae, nunc vana superstitione et traditione avorum coluit idola. Verum de gentium vocatione egit Propheta vers. 2. Hic ergo suam gentem consulat, agitante de vocatione Synagoga et Iudeorum, quorum rex constitutus est Christus, regnare incipiens in monte Sion.

Synagoga vocatur claudicans? Cur? Dico ergo claudicantem et ejectam vocari hic Synagoga Iudeorum, tum quia illa claudicavit in fide, modo colendo Deum, modo idola, juxta illud Eliae ad ejusdem filios: « Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum, » III Regum, cap. XVIII, 21: eo enim altitudi Michaeas; tum quia claudicavit praefatatione itineris eundo in captivitatem nunc Babylonicam, nunc Persicam, nunc Graecam sub Antiocho. Unde vocatur ejecta, dispersa et vagabunda per omnes gentes: ita Vatablus. Claudicans ergo per metalepsin idem est quod fatigata, dolens, aerumosa, afflicta. Unde explicans subdit: « Et quam afflicta, consolabor: » ita Chaldaeus; verit enim: Congregabo translates, et dispersos colligam, et illos quibus manifesti propter peccata populi mei. Haec ergo propheta coepit esse impleri tempore Christi, qui et Judaei Apostolos, primosque fideles in Ecclesiam suam collegit; in dies autem perfectus impletur, dum variis in locis plures Iudaei in Ecclesiam congregantur; perfectissime autem implebitur in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet, ut intellexit S. Justinus Dialogo contra Tryphonem.

VERS. 7. 7. ET FONAM CLAUDICANTES IN RELIQUIAS, — id est in posteritatem; q. d. Faciam ut Synagoga

conversa ad Christum, factaque fidelis, sit fecunda, et multos producat Deo filios, et magnam sobolem. Unde explicans subdit:

ET IAM, QUAE LABORAVIT (eundo in captivitatem et dispersionem, id est, ut Figurina, et procul propulsam), IN GENTEM ROBUSTAM, — tum numero, tum fortitudine. Tales fuerunt Apostolice Iudaeis prognati, aliique similes viri apostoli, orbis doctores et domitores. Ita Vatablus, Arias et alii. Hinc sequitur:

ET REGNABIT DOMINUS (Christus) SUPER EOS IN MONTE SION, — puta in Ecclesia, quae coepit in Sion; Ecclesia, inquam, tum militante, tum triumphante, « ex hoc nunc et usque in aeternum. » Audi S. Hieronymum: « In gentem robustam, in nomen videlicet christianum, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem et passionem martyrum, et de robusta gente non ambiges. »

8. ET TU TURRIS GREGIS NEBULOSA FILLE SION USQUE AD TE VENIT: ET VENIT POTESTAS PRIMA. — Nota primo: « Turris gregis » in Scriptura vocatur locus ille in quo Jacob pavit greges, Genes. XXXI, 21; nec enim alium locum hoc nomine appellatum in Scriptura, vel apud Josephum, aut chorographos Terrae sanctae legimus. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Rupertus, Lyranus et alii passim. Audi ex his Adrichomium in Descriptione Terrae sanctae: « Turris gregis, hebraice *ader*, sive *eder*, campus est uberrimus pasuis, et grandibus olivis refertus; distat passibus fere mille a Bethlehem, ubi Jacob patriarcha fixit tabernaculum, et pavit greges suos; ibique eo habitante, Ruben patris thorum violavit. Atque hoc ipso in loco pastores, ut praedixerat propheta Michaeas, nocte vigilantes super gregem suum, viderunt et adierunt angelos canentes: Gloria in excelsis Deo. Ubi postea templum erectum est SS. Angelorum a B. Helena. Atque adeo sacellum hic erectum est in tantae rei memoriam medio in agro. » Addunt Haymo, Remigius et Beda, Hb. De Locis sanctis, cap. viii, pastores hosce numero fuisse tres.

Quare haec Hebraei, teste S. Hieronymo, in Traditione. Hebr. in Genes. cap. xxxv, opinentur turrim gregis fuisse in Jerusalem, eo loco in quo postea edificatum est templum; tamen ipse S. Hieronymus ibidem, et in Epitaphio S. Paulae, et in Locis Hebr. et alibi, ac passim interpretes et chorographi docent turrim gregis fuisse juxta Bethlehem, ibique angelos pastoribus gregem suam pascentibus muniasse Christi ortum. Dicta est gregis, inquit S. Hieronymus in Tradit. Genes. cap. xxxv, « ubi vel angelorum grex in ortu Domini coemit, vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens; vel, quod verius est, quoddam vaticinio futurum jam mysterium monstrabatur; » quod scilicet angelus ibidem pastoribus gregem pascentibus evangelizaret Christi nativitatem. Ad litteram turris haec dicta est gregis, ante Jacob, ut videtur; eo quod pastores juxta illam, utpote

Ophel turris quae?

loco compascuo, solerent pascere greges, atque nocta ad caulas quae in turri, vel juxta turrim erant, sese cum gregibus stabulatum recipere, uti notantur P. Salmeron et Barradius in Lucae cap. II.

Secundo, pro nebulosa hebraice est Ophel, quae erat turris excelsa in Sion, juxta atrium templi, quam ita ex Josepho describit Adrichomius: « Ophel, quae Josephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubis caput inserens; atque arx munita firmo muro cineta, templo propinqua; extra murum tamen qui habitationem sacerdotum claudcabat. In hujus muro Joathan rex multa construxit, atque Manasses eousque urbis muros reparavit. In hac habitabant Nathanael. In hanc fugiens Manahem tyrannus captus est et occisus. Hanc tandem Titi milites combusserunt. »

Ab altitudine dicta est Ophel, id est tenebrae, caligo, nubium; quod usque ad nubes erigeret caput, et in contemplando ejus culmine oculi caligarent. Ita S. Hieronymus, in Isaiae XXXI, 14. Quare minus recte aliqui censent turrim nebulosam vocari turrim Psephina, quae octoangularis erat, erecta super ropem excelsam, septuaginta cubitos alta, inter septentrionalem et occidentalem urbis murum, ex qua sereno caelo Arabia, mare et fides Chananae conspici poterant, quam Titi expugnavit, teste Josepho lib. VI Belli, cap. II, v et VI; nam in Hebraeo hic non est Psephina, sed Ophel. Denique pro Ophel Septuaginta vertunt, *αβυθός*, quod quadrupliciter verti potest: primo, caliginosus et opacus; secundo, squalens: haec duo habet S. Hieronymus; tertio, aridus; quarto, sitiens vel siticulosus: quae enim arida sunt, sunt pariter squalenta, siticulosa et opaca.

Synagoga caligat? Del est Ophel.

Symbolice, Ophel significat caliditatem et caliginem in qua habitat Deus; ad hanc enim accedere et erigere se conatur Sion, id est Ecclesia, et anima fidelis. Deus enim « habitat lucem inaccessibleem, » I Timoth. VI, 16. Praeclare S. Dionysius, epist. 3 ad Dorotheum: « Caligo, ait, divina est inaccessibleis, in qua habitare dicitur Deus; haec est invisibilis, propter eximiam claritatem; et inaccessibleis, propter immensam luminis copiam. »

Queres, si turris Eder erat extra Jerusalem juxta Bethlehem, Ophel vero erat in Jerusalem, quomodo una eademque turris vocatur hic gregis, et nebulosa sive Ophel? Respondeo, metaphorice et metonymice Sion sive Jerusalem, vocari hic turrim gregis. Ita enim vocari hic Sionem patet, primo, ex eo quod eam nuncupans subdit, *filla Sion*: sic enim cum Romanis, Symmacho (qui clare vertit, ipsa est *filla Sion*) et Septuaginta legendum in nominativo *filla*, non *fille* in genitivo; secundo, quia in Jerusalem erat Ophel: haec autem turris gregis erat turris Ophel, ut ait Michaeas; tertio, quia in Sion erat porta (et consequenter turris super portam de more erecta), quae voca-

batur gregis, per quam greges ovium offerendi in templo, ex turri Eder sive gregis, ubi pabulabantur, inducebantur in Sion et templum. Unde juxta portam Gregis, erat forum pecuarium, et Probatica piscina, in qua curabant infirmi, Joan. V, 2. Dieta est Probatica, *ἀπὸ τῶν ἐπιβάτων*, id est ab ovibus. Probatica ergo idem est quod pecuaria vel ovina, eo quod ad illam oves, quotidie mane et vespere immolande in templo congregabantur, in eaque abluabantur. Denique de Sione et Jerusalem hic agi, patet ex sequentibus. Jerusalem ergo vocatur turris gregis, tum quia vicina erat Bethlehem, et turri gregis, illicque ut metropolis imperabat; tum quia alto loco in montibus sita, et ad illam confluebat grex, id est numerositas Iudeorum ad templum; tum propria quia in Sion erat porta et turris Gregis, obversa turri Eder, sive Gregis, per quam ex Eder oves in Sion et templum inferebantur. Eadem vocatur nebulosa, ob altitudinem turris Ophel, allarumque similium, quae in sui culmine nubes et nebulas de more colligebant, atque e terra contentibus, ob nimiam altitudinem caligantibus oculis, nebulosae videbantur. Unde probabiliter suspicatur Vialpando, tom. III, part. lib. III, cap. vii, turrim gregis hic praecise vocari portam Gregis; portam enim vocari turrim, quia alta erat et munita, ut arx vel turris esse videretur. Porta haec dicitur *filla Sion*, quia subjecta erat templo extructo in monte Sion. Dicitur gregis, tum quod per eam greges offerendi inducerentur in templum, tum quod ante hanc portam esset vallis Josaphat tendens ad montem Oliveti, quam, utpote pasceus uberrimam, Jacob patriarcha suis pecoribus pasceendis elegit. Haec porta a Josepho, lib. VI Belli, cap. vi, vocatur *Genat*, quam Salomon magnificientissimis aedificis ac propugnaculis exornavit. Haec Vialpando, et hoc videntur voluisse Hebraei paulo ante citati, quos sequuntur Emmanuel, Mariana et alii.

Probatice piscina, quae?

Queres, secundo, quisnam hujus loci sit sensus, et quando turri Gregis, id est Jerusalem, data sit potestas, sive, ut vertit Figurina, dominium, regnum et imperium? Primo, Theodoretus sic explicat, q. d. Nabuchodonosor venit ad te, o turris, id est o templum, quod in vinea, id est in urbe Jerusalem, quae ob peccata est atra et nebulosa, quasi turris emineans, ut te sternat et comburat. Verum hoc triste et funestum est, non letum et festivum oraculum, quale hic edit Michaeas.

Secundo, S. Hieronymus intelligit de Cyro et reditu et Babylone, q. d. Veniet Cyrus, qui te, o Jerusalem, id est, vos Judaei, et Babylone per Zorobabel liberet, et in patriam remittat. Verum licet eo alludat Propheta, ut patet vers. 10, tamen altius et majus quid spectat.

Dico ergo turrim Gregis et Ophel, sive Jerusalem et Sion, esse Ecclesiam Christi, quae coepit in Sion, in quam grex fidelium congregatur, quasi in turrim Ophel, id est in locum alium et muni-

lum, vergentem in caelum, ideoque obscurum et nebulosum; doctrina enim Ecclesiae, quia celestis est et divina, de Deo trino et uno, de Verbo incarnato, de predestinatione et reprobatione, etc., est obscura et nebulosa. Eadem vocatur *filia*, quia deo dilecta ut filia, et *Sion*, id est specula, quia nunc contemplatur Deum in æmignate per fidem et spem, brevi eundem contemplatura reipsa, facie ad faciem. Micheas ergo regiam Christi, puta Jerusalem, id est Ecclesiam, vocat *turrim*, ob altitudinem vite et doctrinæ; atque ob munitionem, speculam et tutelam, qua suos fideles tuetur et propugnat. Vocat *gregis*, quia alludit ad Davidem, qui fuit pastor gregis, indeque primus evocatus est ad regnum Sionis; et quia ejus antitypus et successor Christus, rex novæ Sionis, id est Ecclesie, ejusdem potius fuit pastor quam rex. Unde ipse nomine pastoris delectatur: « Ego, ait *Joan. x. 11*, sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; » et vers. 14: « Ego sum pastor bonus: et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. » Hinc vetustissimæ imagines Christi, quas etiamnum Romæ in antiquis templis videmus, Christum quasi pastorem oves pascentem, aut ovem perditam humeris bajulantem, et ad caulam reducentem depingunt.

Tropologie. Tropologie, Ecclesiam vocat *turrim gregis*, ut significet præules Ecclesie, Christi vicarios, non debere ut reges dominari in cleris, sed ut pastores pascere populum Domini. Hoc est quod ait et sancti S. Petrus, primus a Christo summusque Ecclesie presul: « Pasce qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis luci gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam, » *I Petri v. 2*.

Sensus ergo hujus loci est, *g. d. Dixi vers. 7*, quod Dominum regnabit super eos (Judæos fideles) in monte Sion in æternum; quia tu, o Sion, quæ es turris Gregis et Ophel, id est arc sublimis, invicta et inextinguibilis, accipies hoc regnum: « Usque ad te venit, et venit potestas prima, » *g. d. Veniet, veniet, inquam, ad te prisca et avila potestas, et regnum quod habuisti sub Davide et Salomone, puta « regnum filie Jerusalem, »* hoc est regnum Hierosolymæ: sicut enim David gloriose et potenter regnavit in Sion, ita ibidem Christus, filius Davidis et heres, regnum idem capesset: at non temporale, sed spirituale; ibique regnum Ecclesie sue inchoabit, quod deinde profert et propagabit per Apostolos in universum orbem, juxta id quod promissit Gabriel matri eum concipienti: « Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, » *Lucæ i. 32*. Et David rex in typo et persona Christi: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans

preceptum ejus, » *Psalm. ii. 6*. Ita Clarius, Valabius, Arias, Ribera, a Castro et alii. Hinc accedunt S. Hieronymus et Lyranus, qui per *turrim gregis filie Sion* (tū ipsi legunt) accipiunt templum, quo grex, id est populus Domini conleabatur; et in quo greges ovium Deo maclabantur, hoc vocatur *Ophel*, id est nebulosum, quod ad nubes usque altitudine sua pertingeret, vel quod fumum victimarum quasi nebulam jugiter exhalaret; vel quod umbris et figuris quasi nebulis plenum esset, *g. d. O turris nebulosa filie Sion*, id est, o templum Hierosolymorum, usque ad te venit; venit, inquam, prima potestas, id est primum et avitum illud Davidis imperium; non in umbra, sed in veritate: Christus enim triumphator ingredietur in te, qui est regum summus, cujusque David rex umbra tantum fuit et typus. Respicit introitum solemnem Christi in Jerusalem die Palmaram, quando asello vectus cum pompa et triumpho, urbem et templum quasi Messias est ingressus, et inauguratus acclamante turba: « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David, » *Marc. xi. 10*. Christus enim per portam Gregis (quæ hic vocatur *turris* ob celsitudinem, ait Vilalpando supra) quasi agnus paschalis in paschate immolandus, invecus est in urbem, uti colligitur ex *Luc. cap. xix. 37*, cum ait: « Et cum appropinquarem jam ad descensum montis Oliveti, » etc. Ex monte ergo Oliveti per vallem Josaphat venit ad portam Gregis, eaque ingressus est in urbem. Et hoc videtur hic significare Micheas, inquit Vilalpando. Idipsum clare significat versio Chaldeæ, qui paraphrasticè per *turrim Gregis* accipit Christum, qui in Ecclesia inter fideles quasi turris eminet; correlativa enim sunt et inseparabilia pastor et grex, rex et regnum, Christus et Ecclesia. Sic ergo utrumque necens veritit: *Tu autem, o Messias, vel Christe Israelis, qui absconditus es propter peccata cæcus Sion, tibi venturum est regnum, sed et dominatio prisca adveniet regno cæcus Jerusalem*. Christus enim est turris, quia Verbum Patris, de quo dicitur *Sap. xviii. 16*: « Usque ad cælum attingebat, stans in terra. » Erat enim verus Deus æque ac homo, jungens in se deitatem humanitatis, et cælum terre, angelos hominibus. Hinc et dicitur *nebulosa*, id est abscondita in præsepio, carne et cruce: *Deus enim « posuit tenebras latibulum suum, » Psalm. xvii. 12*. Idcirco incognita fuit Judæis. Erat « turris gregis, » quia sicut turris urbem, civem et oves; ita Christus christianos protegit et tuetur. Ipse denique regnum suum consignavit Hierosolymæ, id est Ecclesie sue. Unde et Syrus et Arabicus vertunt: *Tu autem turris (Arabicus, arx) pastor nebulosæ filie Sion, tempus tuum adventit.*

Denique Haymo, Remigius, Beda in *Luc. ii. Baroni* anno 4 Christi, et alii censent Micheam hic alludere ad pastores Eder, quibus angelus primo nuntiavit Christi ortum: ideo enim nominat tur-

Christus est turris nebulosa.

Der est qui sibi imparet.

Alludit ad pastores in curia Christi.

rim Eder, id est Gregis et Pastorum. Unde id clare explicans cap. seq. vers. 2, ait: « Et tu, Bethlehem (juxta quam erat turris Eder) Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, » etc. Itaque hujus loci hunc dant sensum, *g. d. Tu, o turris Eder rusticana, vilis et pastoritia, caput attolle, gaude et exsulta; quia primo ad te venit nuntius celestis, puta angelus annuntians Christi regis ortum, cujus potestas prima et regnum incipiet in Jerusalem, indeque propagabitur per totum orbem. Quocirca eris jam turris non tantum Gregis, sed et Ophel, id est celsæ caliginis: quia in te excelso Olympi vertice descendet spirituum et musicorum celestium multitudo, concinens: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bone voluntatis. »*

Tropologie. *Filia Sion* est anima quæ speculatur celestia et divina: Sion enim hebraice significat *speculam*. Unde in ipsa est turris, id est prudentia et providentia, æque ac robur et munimen, quibus sum gregem, id est omnes animæ potentias, sensus et actiones, omnesque corporis motus moderatur, regit, tuetur et roborat. In ipsa est Ophel, id est caligo, puta orationis et contemplationis, qua cum Mose, *Exodi xix. 9*, intrat in caliginem, in qua habitat Deus; ibique cum eo colloquitur, ut solum facere S. Bernardum legitimus in ejus Vita. Rursum est Ophel, id est *supradix*, ut vertunt Septuaginta, id est, primo, arida, quia humores pravos concupiscentiæ per jeunia et mortificationes desiccet; *secundo*, squalens, per lætum et penitentiam, ob exsilium in quo degit; *tertio*, sitiens, scilicet Deum, et aquam gratiæ salientis in vitam æternam. Complutensia legunt *supradix* in genitivo, id est caliginosæ, aridæ, squalide et sitiens, ut referatur ad *gregis*. Juxta quam versionem hæc quatuor simili sensu jam dicto de anima, ad potentias, sensus, motusque ejusdem (hi enim sunt ejus grex) accommodari facile possunt. Ad hæc venit potestas prima, puta primum regnum filie Jerusalem; primum enim maximumque regnum animæ est, quo in ipsa regnante Christo rege, eamque regente, ipsa pariter a Christo regno accipit, fitque regina: nam regnat et dominatur æquo jure, primo sibi, suisque potentis et motibus; *deinde* rebus exterius, quos omnes sibi subjicit; *ac tertio*, proximis, quorum cura ei commissa est. Dum enim Deo vacans, primo sibi suisque actibus pie sanctoque imperat, facile cæteris omnibus præesse et imperare discit; itaque fit Jerusalem, id est visio et possessio pacis: jugi enim pace et serenitate conscientie fruitor. Hinc philosophus ille, licet gentilis: « Rex, inquit, eris, si teipsum rexeris. Rex eris, si cupiditatibus et passionibus tuis imperes. Rex eris, si regas iran, gulam, libidinem. » Alexander Magnus alios rexit, seipsum regere nescivit, rexit eum ira et cupidio: unde non rex, sed ire fuit servus et mancipium ambitionis. Ve-

rus mendicus ille apud Taulerum se regem esse dixit, quod nihil appeteret in hoc mundo, quodque suam voluntatem Dei voluntati in omnibus conformaret, ideoque sibi rebusque omnibus dominans, perpetua pace et lætitia animi fruere-tur. Historiam fuse enarravi *Rom. xii. 1*.

Anagogice quidam, ait S. Hieronymus, hæc accipiunt de Jerusalem celesti, quæ cum sit « mater sanctorum, tandiu quasi Ophel squalet, quandiu filii sui non reducuntur ad eam, ut rex et consiliarius non sit in ea; et dolores sicut parturientem apprehendant eam, quod frustra peperit, videns tantos filios interfectos. »

9. NUNC QUARE MOERORE CONTRAHERIS. — Hebræus Vers. 9. *nervosius: Nunc quare vociferaris vociferationem?* id est cur ingenti voce ejulas et ploras? Redit ad Sionem, id est ad Judæos sui temporis. Unde *vocula meæ*, et tempus presens significat, simul- que est nota illationis, idem valens quod *ergo*. Itaque nunc idem est quod *nunc ergo*, *g. d. Nunc ergo, o Sion, cur moeres ob instantem captivita-tem, cum tam felix et augustum Christi regnum expectes? Est enim eas ad modicum tempus in Babylonem, esto Sedecia rege tuo, principibus et consiliariis orberis; tamen inde brevi te redeam, faciamque ut rex tuus potentissimus, æque ac consiliarius sapientissimus propediem tibi sit ipse Christus, Rex regum et Dominus dominantium; ipse te omni captivitate, omni merore, omni ærumna liberabit; ipse te consolabitur, ditabit, honorificabit, ut nil deinceps metere debeas, nil amplius sperare aut desiderare possis.*

Allegorice, hæc et sequentia usque ad finem capituli adaptari possunt Ecclesie primitiva (hujus enim typus fuit Synagoga Judæorum) primitus et deinceps a tyrannis afflictæ, et pene oppressæ: imo de ea ad litteram accipiunt Rupertus, Albertus, Lyranus et Vatablus, *g. d. Post adventum Christi affligentur christiani, unde habebunt ansam gemendi; sed tamen sumant animos, quia non desistentur ope divina: nam rex eis aderit Christus, et consiliarius Spiritus Sanctus.*

Aliter, imo contrarie, hæc accipit S. Hieronymus et Theodoretus, *g. d. Qua de causa, o Sion, moeres? utique ob instantem captivitatem. Sed unde illa tibi obveniit? An quod destituta sis rege et consiliariis? ad habes Ezechiam, Josiam, Sedeciam aliosque reges, eorumque principes et consiliarios. Disce ergo hoc malum non aliunde tibi accidere, sed tua culpa, tuo vitio: quia nimium tuis idolis et sceleribus Dei iram et vindictam in te concitasti. Verum hic est sarcasmus et hostilis irrisio potius quam paterna consolatio, quam toto hoc cap. Sioni suggerit et ingerit Propheta.*

Tropologie S. Ambrosius hic: « Cur, inquit, comprehenderunt te dolores ut parturientis, ut parturires iniquitates, et pareres injustitias? nullus enim major est dolor, quam is qui peccati

murone vulnerat conscientiam: atque nihil (dicitur): LAPIDETUR (id est lapidibus) ET ASPICIAT IN SION OCLUS NOSTER, — id est oculus noster aspiciat eam volutate Sionis ruinam, eaque se pascat, illamque irridet et subsannat: solemus enim aspicere et oculos intendere in ea qua diligimus, despiciere vero et avertere oculos ab iis qua odimus vel contendimus. Unde vulgo dicitur: « Ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor. » Hinc *aspicere* sumitur quandoque pro oblectari, ut *Psalm. LXX, 18*: « Iniquitatem si aspexim corde meo. » Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo et alii.

Vers. 10.

40. DOLE, ET SATAGE, FILIA SION. — Satagere est esse anxium, anxie distorti difficile aliquid rei conficienda, vel evadenda. Pro *satage* hebraice est *גָּחַח* *gachi*, quod varie vertitur; Septuaginta: *Dole et virititer age*; Chaldaeus: *Dole et contremisre*; Pagninus: *Dole et ingemisce*; Tigurina: *Dole et gemitum ede, q. d.* O Sion, permitto ut doleas et ingemiscas, ac de facto dolebis et ingemiscas: habebis enim iustum argumentum et causam doloris et gemitus, scilicet excidium et captivitatem Babylonicam.

QUA NUNC EGREDIENS DE CIVITATE (de Jerusalem), ET HABITABIS IN REGIONE (Hebraeus et Chaldaeus, *in agro*; Septuaginta, *in campo, q. d.* Non in urbe sub teo, sed in agro sub dio, quasi profuga et captiva deges), ET VENIS USQUE AD BABYLONEN (sed age, resume animos, spera meliora: nam post modicum tempus, puta post 70 annos): MI LIBERABERIS, IBI REDIET TE DOMINUS. — *Primo*, inchoate per Cyrum et Zorobabel; *secundo*, plene per Christum. Audi S. Cyrillum iuxta Septuaginta: « Dole igitur, et viriliter age, filia Sion, ait: O bona filia, patiens esto ad dolores, obdura ad molestias, appropinqua ad partum. Sed enim non penitus consolatione destitutum relinquit: addit enim in patriam sedem ire revocatum. » Sic Aeneas socios naufragospe melioris sortis consolatur, *Aeneid. 1*:

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojae:
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Tropologia
sua pae
nificenti.

Tropologie S. Hieronymus: « Intelligent, inquit, animam propter peccatum de Ecclesia pulsam, et inimico et uliori contraditiam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, exire de civitate quam spiritus impetus iustificat, habitare non in monte ubi prius fuerat, sed in campo in quo Assyriorum vagari exercitus, et esse in confusione viitorum suorum, et postquam habuerit compedes, et traxerit molam, et farinam Babylonis fecerit, in semet reversam dicere: Quam mercenarii patris mei saturantur panibus, et ego hic famo perco; et ad paternam domum postea revertentem suscipi a clementissimo patre, et rediui de manu durissimi domini. »

Vers. 11.

41. ET NUNC CONGREGATE SUNT SUPER TE GENTES. (Tunc nunc iterum aliam et vicinioram Hierosolymam calamitatem significat, q. d. Dixi, o Sion, te iterum in Babylonem; sed antequam eo rudas, alia tibi instat clades a Sennacherib, qui multas contra te gentes congregabit, puta 183 millia) QUA

vertunt: Quasi manipuli areae; Chaldaeus, Pagninus et Tigurina vertunt: Quasi manipuli ad aream, ut in ea trituretur, eorumque grana exultantur, que in horrea condantur. Hos enim significat hebraeus *עֲבָרֵי אֹרֶז*.

ps. 13.

43. SURGE, ET TRITURA, FILIA SION: QUIA CORNU TUUM PONAM FERREUM, ET UNGULAS TUAS PONAM AREAS; ET COMINGES POPULOS MULTOS. — Nota: In Palestina, uti et in Italia, Canaria aliisque multis provinciis manipuli et segetes triturentur non ligneis flagellis, uti fit in Germania; sed unguis bouum, vel serralis carpentis, que super segetes circumagunt; itaque calcando eas terunt, et grana ex arisistis exprimunt. Similia carpenta subinde super hostes stratos agebant victores, eosque quasi triturebant; ut fecit David Ammonitis, *II Reg. XII, 31*. Dicit ergo Deus se « cornu » et « unguis areas, » id est animos, robur et vires, Sionis redditurum, ut suos hostes calcet, premat et trituret. Factum hoc primo, sub Ezechia, quando cecis per angelum Assyris, Iudaeorum castra invaserunt, occuparunt et spoliarunt; secundo, sub Iuda, Jonatha, Simone et Hyrcano Machabeis, qui quasi cornua fuerunt, quibus Judas ventilavit omnes vicinas gentes, ut patet ex libris *Machab.*, ut in his impletum sit *Iud. Deut. XXXIII, 17*: « Cornua rhinocerotis cornu illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terra. » Ad Machabeorum enim gloriosa bella et victorias hae referunt Dionysius, Ribera et alii. Mystice id plane adimpletum est in Christo eiusque Sione spirituali, id est Ecclesia, que robore predicationis suae sibi subegit omnes gentes, eorumque idola et profana fana contrivit. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Albertus, Lyrantus, Clarus et alii.

ET INTERFICES DOMINO RAPINAS EORUM. — *q. d.* Immolabis Domino boves aliasque victimas quas veltix ab hostibus rapisti. Id fecisse Ezechiam et Iudaeos ex spoliis Assyriorum docet Josephus lib. *X Antiq.* cap. III. Idem fecisse Machabeos liquet ex eorum actis. Idem saeculis omnibus fecit et facit Ecclesia Christi. Pro *interfices* hebraice est *וְהִחָרְתִּי* *vehacharanti* (Noster et Septuaginta videtur legisse *וְהִחָרְתִּי* *vehacharanti*; vertunt enim in secunda persona, et *interfices*, sed eodem redit sensus; Deus enim per Iudaeos victimas hasce interfecit), id est *faciam cherem*, id est

anathema, hoc est *anathematizabo*, exscindam et consumam, *rapinas eorum Domino*, id est mihi, *q. d.* Devovebo hostes tuos cum suis opibus mihi meeque vindictae: quasi victimas meas adiciam eos neci, faciam eos anathema, partim, per angelum occidentem, partim per tuos cives, o Sion, praesertim Machabeos, sicut feci Jericho, *Josue VI, 46*, et Chananeis, *Numer. cap. XXI, 2*. Vide quae ibi dixi de volo *cherem*, sive anathematis.

Nota: Pro *rapinas eorum* hebraice est *בָּצֵקִים* *btsam*, quod Septuaginta vertunt, *multitudinem eorum*; Chaldaeus, *facultates eorum*; Symmachus, *lucrum eorum*; Theodotus, *bona vel munera eorum*; Tigurina, *opes eorum*; Pagninus, *desiderium*, id est opes desiderabiles, *eorum*; Noster, *rapinas eorum*, quas scilicet Assyrii et Iudaei raperunt, tuque iterum eis eripisti, quasi justas et reduces justis belli rapinas.

ET FORTITUDINEM EORUM. — Hebraice *חֵילֵם* *chilian*, id est substantiam et opes: hae enim sunt divitum robur et fortitudo, juxta illud *Proverb. cap. XVII, 11*: « Substantia divitis, urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum. » Hae rursus sunt nervus belli, ut ait Cicero. Alii per *fortitudinem* accipiunt milites et arma: arma enim hostium bello capta Iudaei, aeque ac Christiani et Gentiles suscipere solent Deo, ut illi victoriam acceptam referant: uti David suspendit in templo gladium quo obruncavit Goliath, *I Reg. XXI, 9*. Idem fecisse Gentiles docet Virgilius *VII Aeneid.*:

Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendunt curvas, curvaeque securae,
Et cristae capitum, et portarum ingenta claustra,
Spiculaque clypeique ereptaque nostra castris.

Hoc est quod praedixit Isaia cap. *IX, 5*: « Fortitudo gentium venerit tibi, » et vers. *11*: « Ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. »

Tropologie, docemur hic omnem victoriam de Tropologia, Deo tribuendam epimicium. hostibus tam corporalibus quam spiritualibus, ascribendam esse Deo auctori; uti fecit Moyses et Josue, victo Amalech, erigens altare hoc titulo: « Dominus exaltatio mea, » *Exod. XVII, 13*; ideoque omnia desideria et desiderabilia nostra ipsi esse mactanda et offerenda.